

*simæ, & per consequens difficillimæ, quales caussas secundum primam opinionem cognoscebat Sapiens.*

§ 4. Tertiò persuasi sumus Sapiientis scientiam accuratissimam esse, nisi enim hoc sit, decipietur, Sapiientem verò quàm talem decipi absurdum est. Confusio autem oritur in multitudine & compositione, multitudo autem vel nulla vel minima est in primis, prima etiam sunt simplicissima, e g. prima vocum elementa & principia pauca sunt & simplicia, quæ verò inde oriuntur composita, syllabæ puta & voces sunt infinitæ. Unde liquet, primarum caussarum & principiorum cognitionem esse accuratissimam, qualis cognitio fuit Sapiientis secundum primam opinionem.

§ 5. Multi multa norunt, sed non omnes ea, quæ norunt, alios docere possunt. Docere autem imprimis est rei caussam assignare: *ἔτι γὰρ διδάσκειν οἱ τὰς αἰτίας λέγοντες περὶ ἑκάστων* lib. 1. Met. c. 2 Nam scire facit, qui docet, scire autem cur res sit, est primam caussam cognoscere, quod etiam est simpliciter scire lib. 1. Post. c. 10. lib. 1. Phys. c. 1. lib. 2. Phys. c. 3. lib. 1. Metaph. c. 3. l. 7. Met. c. 17. Cum itaq; quartò hanc de Sapiiente foveamus opinionem, quod ipse maximè omnium docere possit, quando scilicet intellectum vel sapiientiam in eo desideramus, qui docere non potest; talis utiq; erit, qui secundum primam sapiientis conditionem primas rerum caussas cognoscet.

§ 6. Opinamur quintò, Sapiientis scientiam maximè propter se expeti, quando eam divinam esse putamus. Tale enim propter se, non propter aliud eligendum iudicamus. Maximè autem expetitur ea scientia, quæ maximè est scientia, sed maximè scientia est rei maximè scibilis, maximè autem scibilia sunt, quæ reliquis, ut sciantur, caussæ existunt & principia, propter quod enim unumquodq; est tale univocè, illud magis est tale. lib. 1. Post. c. 2. l. 2. Metaph.